

1728, 9 9 470
X2

SUPREMVM AMORIS OFFICIVM
VIRO
ALTISSIMAE ET VARIAE ERVDITIONIS
GLORIA INSIGNI,
POLYCARPO LEYSERO,
IVR. MED. ET PHILOS. DOCT. POES. ET HISTOR.
IN ACAD. IVLIA PROFESSORI ORDINARIO,
VERO AETATIS NOSTRAE
POLYHISTORI,
DIE VII. APRIL. c/o I o cc xxviii.
PIE PLACIDEQVE DEFVNCTO
PVBLICO
ACADEMIAE IVLIAE
NOMINE
PERSOLVTVM.
—
HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIE TERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR.

SACRUM AMORIS OFFICIA
ARO
AD TERRAM ET MARIAE RADITIONEM
Gloria Trinitatis

HOC CANTO LIBERO
IN VERSO LATI PROFESSOR ORDINARIO
AERIO AERATIBUS NOTABIL
LITERIS LITERIS
DIE ALVARES DE DECIMI
HABEGO
VOCALISMANIA SIVITATE
MUNICIPAL
TETROGRAPHIA
FIRMSTADON
TYLLISTAVI LIBERTATIBUS MUNIVIT
VANAS TUDOR

PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE IVLIAE
CIVIBVS SVIS

S. D.

Vitam cum morte his diebus permutauit (O triste ac lamentabile verbum!) Vir incomparabilis atque celeberrimus, Dn. POLYCARPV^s LEYSERV^s, Iur. Med. & Philos. Doctor, Poet. & Histor. Professor ordinarius, Collega noster coniunctissimus, et ordinis sapientum pro tempore Decanus, qui non solum ob excelsam, qua pollebat, animi indolem, sed summam etiam, quam in omnibus diuinae pariter atque humanae sapientiae partibus sibi comparauerat, scientiam, singulare IVLIAE nostrae, quoad vixit, extitit ornamentum, & ipsa immortalitate consentientibus omnium iudicis fuit dignissimus. Quam graues præmaturum, & inopinatum illius obitum deplorandi habemus caussas, & quantam in hoc viro non modo nostra Academia, sed totus etiam litteratus orbis fecerit iacturam, paucis declarari haud potest. Nemini enim, nisi omnium rerum ignaro, ignotum est, non quotidie nasci eiusmodi homines, qui diuino quasi quodam spiritu agitati, mortalium sortem intelligendo superant, & in omni simul doctrinarum genere aequre excellunt. His vero nostrum iure meritoque suo annumerandum esse, si non alia huius rei adessent argumenta, id tamen ex egregiis ictis & pereruditis litterarum monumentis, quae in tam

A 2

præ-

praecipi breuis vitae decursu magno numero. absoluens
luci publicae exposuit, nec tamen perfunctorie aut desul-
toria opera elaborata sunt, satis luculenter constaret.
Quod indefessum de republica litteraria praedclare meren-
di studium quotidie in illo eo maiora capiebat incremen-
ta, quo magis parta iam ex litteris gloria non contentus
nouis semper conatibus ad altiora enitebatur. Vbinam
vero iam sunt tam singularis scientiae thesauri inaefti-
mabiles, qui tot vigiliis, tot lucubrationibus, tot diutur-
nis nocturnisque laboribus collecti atque conquisi? ci-
tius illos deperditos nunc dolemus, quam acquisitos era-
mus gauisi. Nihil quidquam ex tanta bonorum omni-
um affluentia praeter triste desiderium fatorum inuidia no-
bis reliquit. Atque haec est misera mortalis vitae conditio!
tam incerta sunt gaudia nostra! tam tristes rerum omni-
um vicissitudines! Enimuero quid agimus? quoque
nimio moeroris sensu abripimur? vincat demum affectus
affectum, soluat tristitiam amor, luctum pietas, deside-
rium fida & gratissima beati viri recordatio. Nostrum
enim non est, diuina decreta muliebris lamentis culpa-
re temere, aut cum Deo, supremo vitae necisque arbitro,
descendere in certamen: id potius videtur reliquum,
vt beate defuncto pia excelsarum virtutum memoria pa-
rentemus, eundemque etiam post fata iustis & iamdu-
dum promeritis prosequamur laudibus. Quae cum ita
sint, agite, CIVES OPTIMI, & quis, quantusque L E Y-
S E R V S noster in vita fuerit, paullo penitus nobiscum
recognoscite!

Prima lucis huius usura frui coepit ò manegins noster
Collega anno recuperatae salutis cī cī cī cī
IV. Hannouerae, loco illustri, et Germanicarum vrbium,
quae

22) 5 (20

quae sceptro Britannico subiectae sunt, principe. Patrem
habuit virum summe reuerendum Dn. POLYCARPVM
LYSERVM, SS. Theol. doctorem, & id temporis Wun-
storpensem supremum antistitem, postea vero Augustis-
fimo Magnae Britanniae Regi a consiliis sacris, & ecclefia-
rum ducatus Cellensis generalem superattendentem, ma-
gni nominis theologum, & de euangelica ecclesia meritissi-
mum. Mater eius erat MARGARETHA MAGDALE-
NA BARCKHVSIA, HERMANNI BARCKHVSII, viri
magnorum itidem in theologia meritorum filia, vt sacram
vtrinque genus omnia illi auspicatissima sponderet. Avus
paternus ei fuit FRIDERICVS WILHELMVS LEYSE-
RVS, cathedralis ecclesiae, quae Magdeburgi est, primari-
us quondam antistes: avia CHRISTIANA MARGA-
RETHA MALSIA, ex illustri & generosa Malsiorum stirpe
prognata. Altius quidem adhuc in commemorandis
eius maioribus ascendere possemus, praesertim, cum iam
ante hos quingentos annos Leyseriana familia in terris
Austriacis nobilitate claruerit, neque hodie ibi desint,
qui, Pontificorum sacris addicti, illustrem *Baronum de*
Leyser dignitatem adhucdum tuentur: sed, quia beate de-
functi progenitores adeo ab omni mentis elatione alieni
fuerunt, vt, eiurata Romanenium superstitione, vltro
se hoc fortunae splendore abdicauerint, non in natalium,
sed virtutis nitore veram nobilitatem collocantes; pace
tantorum Nomini commode fieri nequit, vt, quod
ipsi semper modeste diffimularunt, fusius hoc loco a no-
bis referatur.

His ornatissimis maioribus & fortunatis parentibus
cum Noster procrearus esset, more inter christianos sole-
ni ad sacram regenerationis lauacrum delatus, per spon-

A 3

fores

lores Seruatori sacramentum dixit, & haereditarium a patre nomen POLYCARPI reportauit, eo potissimum fine, vt intrepide confessus Seruatorem nostrum Polycarpi episcopi Smyrnensis euaderet aemulus, & non solum exemplo eiusdem sanctissimi doctoris admonitus ecclesiae christianaee multo cum fructu inseruire studeret, sed, rectissimis etiam praegressos itineribus maiores ~~quam ipsi~~, abauum scilicet & proauum, aliquando sequeretur strenuus. Eluxit in puero prima statim aetate cum ceteris naturae fortunaeque dotibus diuina animi indoles; cui in hoc lubrico aetatis non praeceptor modo, sed custos etiam rectorque quaerendus erat. Wunstorpium, ubi tum parentes viuebant, non ferebat tunc ingenia, formandae iuuentuti profutura. Itaque defectum hunc suppleuit parentum pietas, qui non detrectarunt, magnis licet sumtibus, filium peregre alere. Missus hinc est cum fratre suo, natu minori, FRID. WILH. LEYSERO, optimo studiorum, socio atque aemulo ad varia litterarum gymnasia, Ilfeldense praecepit, Goettingense, & Magdeburgense, in quibus una cum fratre sibi coniunctissimo ita doctrinarum studiis magno & laudabili conatu operatus est, vt non tantum fundamenta rite poneret, sed in ipsis etiam disciplinis breui tempore insignes facheret progressus. Neque enim, quae est peruersa ista hodierna studia instituendi ratio, sacra haec illotis, vt aiunt, manibus contrectauit, sed clarissimo ingenio prius elegantioribus litteris probe imbuто, quippe quae fundamentum sternunt eruditioи reliquae, & sui neglectum per omnem vitam seuera vltione vindicant, tum demum ianuam sibi apertam fore, interius Mineruae sacrarium introeundi, prudenti admodum, & satis maturo consilio intellexit. Testem

stem huius rei cumpromis appello IUSTVM à DRANSFELD, id temporis Goettingensis Paedagogii Directorem, magnae multaeque doctrinae virum, qui, quoties noster sub ipsius ductu aut dicendo, aut disputando, aut alio modo vires ingenii sui tentaret, numquam eiusmodi exercitiorum genera publico, & typis exscripto elogio condecorare intermisit. Atque his & similibus tirociniis noster praelusit eruditioni, quam orbis mox in illo admiraturus erat, eamque vitae suae partem impendit, quae a tempore nativitatis ad annum usque

cl^o ICCCIX circiter porrigitur.

Posteaquam vero hac ratione optimarum rerum, quae futuro academiae ciui, studia sua cum fructu persequi cupienti, scitu necessariae sunt, solida & sufficienti notitia satis munitus erat, consilium cepit proficisci in academiam. Hasso-Schauenburgica, Rintelii florens, digna videbatur, quam primam salutaret. In hac igitur suasu optimi patris, & glorioso plerorumque maiorum suorum exemplo concitatus, sanctioris doctrinae, ac diuinorum monumentorum, quae caelesti afflatu percussi scriptores condiderunt, intelligentiae totum se consecravit, praeeuntibus hac in re celeberrimis viris Dn. D. Ioh. KAHLE RO, & FRID. WILH. BIERLINGO, theologis non minus piis, quam eruditis. Vix autem annus confectus erat, cum Musis Rintelensibus valedicens Rostochium discederet, ibi coeptam feliciter studiorum telam pertexurus. Audiuit hic celeberrimos theologos, & Dn. D. Ioh. FECHTII, D. Ioh. PETR. GRVNENBERGII, D. ZACH. GRAPPI, D. ALBERT. IOACH. KRAKEWITZII, & D. DAV. HENR. KOEPKENII lectionibus, studio sacro dicatis, examinatoriis praesertim & disputatoriis

riis, diligenter interfuit. Praeside Celeb. GRAPIO partem theologiae polemicae RAVIANAE respondendo ventilauit. Praesidibus D. KRAKEWITZIO & KOEPKENIO theologiam cum aliis commilitonibus disputando absoluit, qua de re bina typis exscripta programmata testantur. Biennio autem exacto, in nostram Academiam, optimam illam studiorum pietatis & sapientiae altricem, delatus, ducente in primis summe venerabili Dn. Abbate Io. ANDR. SCHMIDIO iter theologicum continuauit, priuatim & publice cum socio Io. ANDR. DVVIO theologiam disputando percurrentes, teste *prolusionum Marianarum tertia*. Solemnem etiam adiecit eodem grauissimo conflictus moderatore *de conciliis Mogunitenibus, praeserim de eo, quod an. cI9 cccx. a Petro habitum est*, dissertationem. Neque intermisit alios etiam Iuliae nostrae doctores adire, ex quorum omnium fideli institutio ne tantum profecit, ut omnino insignem faceret largissimae messis expectationem. Desiderium vero parentis sui prompto obsequio impleturus, ann. cI9 cccxiii. patrios ad tempus repetit lares, & otium nactus, ea, quae Rintelii, Rostochii, & Helmstadii audierat, sedula repetitione & meditatione in usus suos conuertit, neque intermisit, deficiente viua institutione, mortuos consulere doctores, atque ex horum scriptis assidua lectione scientiam suam magis magisque adaugere. Sicuti vero ignis, angustiori loco inclusus, vel materiarum mole oppressus, vim suam exferere nequit: ita etiam igneo LEYSERI ingenio nihil grauius molestiusque accidere poterat, quam quod in hoc suo secessu a frequentiori eruditorum consuetudine, qualis in academias datur, se aliquatenus remotum cerneret. Quare domi diutius haerere noluit, sed de nouo

nouo animum induxit, academiam quandam visitare, dubius tamen adhuc atque anceps, quamnam p[re]ce[ri]s eligeret. Rationibus vero omnibus probe circum-spectis, & accuratissime subductis, tandem placuit Leu-coris, celebratissima illa ad Albim bonarum artium mer-catura. Simulac huc ann. clo[ro]ccxix. peruererat, vi-tam non egit desidem atque ignobilem, sed pari ardore, atque antea fecerat, ad caelestis doctrinae culturam ani-mum adpulit. Egregio documento sunt praeter *disco-
riam rationis & fidei in controversia cum Antitrinitariis* dissertationes binæ, eius quidem nomen non p[re]fe-rentes, ab eo tamen elaboratae, quarum altera: *Num bona opera in actu iustificationis sint praesentia*, disquirens, p[re]fside celeb. D. GOTTL. WERNSDORFIO, altera vero de promouendis commodis ecclesiae euangelicae, p[re]fside celeb. D. MART. CHLADENIO ventilata est.

Hactenus LEYSERVVM nostrum tanquam strenuum theologiae cultorem breuiter descripsimus: sequitur iam, vt eundem etiam sub imagine & figura philo-sophi contemplemur. Quantum beate defunctus sapien-tiae studiis statuerit pretium, non solum exinde appareat, quod scholasticorum subsellia adhuc premens philosophi-am magna auiditate excolere incepit, sed postea etiam in academiis constitutus eandem adeo in amoribus habuit, vt anno clo[ro]ccxix. Witebergae in solemini magistrorum renunciatione, celeb. philologo, Io. CHRISTOPH. WICH-MANNSHVSIO tunc temporis huius praemii distributo-re, philosophiae doctoris titulo, quem vulgo *Magistrum* vocant, cuperet insigniri. Neque fuit ista postmodum dignitas, quae in aliis saepe reprehensione non caret, ho-dieque a multis sine causa alto quidem, sed stulto simul

B

super-

supercilio contemnitur, ei vñquam dedecori. Ex quo enim tempore laurea philosophica condecoratus erat, eo omnes ingenii atque doctrinae nerois intendit, ne quam nomini huic suo maculam adspiceret, sed ei probis moribus, & indefessa diligentia quotidie nouum aduersus maleuolorum sinistra iudicia conciliaret splendorem. Aperuit hunc in finem ipse scholas philosophicas, magno semper audientium numero frequentes; praeses disputauit vice plus simplici; *Societas Colligentum* fuit Director, operamque dedit, vt obseruationum aliqui de variis, ex omni eruditio[n]is genere selectis, argumentis in lucem prodirent fasciculi. Quid multa? talem vbiique se ostendit sapientiae doctorem, qualis dignus iudicatus est, qui in numerum Adsesorum Ordinis philosophici reciperetur. Occupauit itaque hunc locum an. clxxxvi, habita prius & magno applausu defensa pereleganti dissertatione *de origine eruditio[n]is non ad Iudeos, sed ad Indos referenda.*

Quemadmodum autem omnium fere disciplinarum ea est cognatio, vt in vna excellere nequeat, quiceteras plane negligit: sic tanto ingenio, quanto **LEYSERVS** erat, vitio facile verti potuisset, si in his solis sapientiae humanae studiis acquiescere, nec etiam ad aliorum, Iureconsultorum puta, & Medicorum castra transfire voluisset. Quod probe intelligens beate defunctus, etiam si diuiniores litterae, harumque cultura primi sui, & vltimi amores futuri essent, non intermisit tamen & horis subcisiu[s] tam Themidi, quam Aesculapio sacra sua facere. Rostochii cum viueret, docebat eo tempore iu[r]isprudentiam vir illustris Io. IOACH. SCHOEPFERVS, magnum illud iuris vtriusque apud Germanos lumen. Hunc audire Noster, ex-huius grauissimo ore legum difficult-

ficillimarum interpretationem percipere , huius in complexu & consuetudine versari, pulchrum sibi ac honorificum existimabat. Adiit quoque ibidem I o. E R N E S T . S C H A P E R V M , virum & medendi felicitate , & doctrinae laude longe lateque celebratum ; cui omnes Medicinae partes secundum ordinem docenti ita adhaesit , vt sub hoc duce nullam earum reliquerit intactam. Witebergae vero degens celeb. doctoris medici & archiatri regii I o. G O D O F R E D I B E R G E R I lectionibus priuatissimis, eiusque frequenti alloquio & interiore admissione , magno suo cum fructu , semper vsus est.

Excultis sic omnibus, quae vastissimum eruditio nis ambitum absoluunt, egregie partibus, ita, vt nihil amplius quicquam restaret, quod non capacissima mente penitus hausisset, summa Nostrri eruditio diutius latere non potuit, sed tanquam fulgentissimum solis iubar per vniuersum litteratorum orbem dispersum, omnibus illuxit. Commouit hic incredibilis scientiae splendor Aularum in primis proceres, vt non permetterent, Musas patrias tam nobili eruditio nis fidere orbari longius, sed L E Y S E R V M nostrum , Witebergae adhuc haerentem, ad munus philosophiae, extra ordinem docendae, in hac bonarum mentium palaestra obeundum, solemni vocatione clementer excitarent. Paruit tam benignae superiorum voluntati, & an. c l o l c c x v i i i . mense Maio hoc redux factus prouinciam, sibi demandatam, eleganti oratione *de fida medi a eui barbarie, in primis circa poesin latinam*, publicatoque *de Reformationis disciplinarum necessitate* programmate auspiciatus est. Quanta inde cum cura & sollicitudine id semper egerit, vt tantae de se expectationi faceret satis, vt omnes boni doctoris partes omnibus

bus modis & omni tempore impleret, vt iuuentutis academicæ, in spem patriae efflorescentis commoda promoueret, vt partam iam nominis celebritatem non tam confueraret, quam nouis subinde speciminibus adaugeret atque extenderet: id fusijs iam facile possemus referre, nisi verendum nobis esset, ne, quae ieiuna oratione modo expressimus, multo praeclararius constanti fama, atque omnium sermonibus celebrarentur. Neque tamen sicco plane pede hic praeterereundum esse existimamus, quod his egregiis vestigiis insistens ipsa opinione citius viam sibi munuerit, ad ea virtutis ac eruditionis praemia capeſſenda, quae alii quidem magnis moliminiſbus & interdum aliorum cum iniuria appetunt, sero autem, vel numquam consequuntur. Id quod paulo post quam clarissime etiam apparuit. Anno enim apud nos vix peracto, clementissimo PRINCIPVM nostrorum iuſſu in numerum ordinariorū profesorum receptus, extraordinariam philosophiae cum ordinaria poeſeos professione permutauit. Habuit & sub huius muneris initium perelegantem *de poesi disciplinarum principe* orationem; quo egregio planeque poetico specimine luculenter demonstrauit, quam felix a natura accepisset ingenium, ad omnes formas in ſe recipiendas aptissimum. In ipſa vero huius nouae functionis administratione id potissimum negotii ſibi datum eſſe credit, vt carminis pangendi amantes non per deuia, aut fluxuofas ambages, ſed recta via ad limpidiſſimos artis poeticae fontes deduceret, et quae imitanda, quae fugienda, breuibus quidem, ſolidis tamen praeceptis neruofe ſemper oſtenderet. Scriptis etiam in hoc amoeniffimo ſtudiorum genere voluit inclarescere, inter quae haud ultimo collocanda eſt loco eius *Historia poetarum, & poematum medii aevi*, quae ann.

ann. ccccxxi. Halae Saxonum in lucem prodiit. Sed haec notiora sunt , quam vt longa commemoratione indegant.

Iam annus agebatur ccccxxi. cum Academia Ernestina Rintelensis ad sacra saecularia , magnifico apparatu celebranda, se accingeret. Inuitabantur ad hanc solemnitatem spectandam, saeculi spatio vix recurrentem, cum aliae , tum in primis nostra etiam Academia. Deliberabatur ista de re in pleno senatus confessu, quis singulorum loco mittendus esset. Colligebantur suffragia : fors vnanimi patrum consensu cadebat in LEYSERVM nostrum. Neque enim eum solum magna sua eruditio, sed elegantissimi etiam , & ad genium nostrae aetatis compositi mores vna cum eximia corporis pulchritudine ad officium legati obeundum quam maxime commendabant. Hinc, publicis litteris ab Academia nostra accep-tis, d. XIII. Iul. Helmstadio abiens , die XVI. eiusdem Quintilis mensis Rintelium peruenit, ibique ab omnibus beneuole exceptus, ipsis Iubilaei solemnibus Iuliae nostrae nomine interfuit. Quod, finito Iubilao, reliquum erat temporis , conuersationi cum eruditissimis in ista Musarum sede viris dicauit ; quae occasio eo minus ab illo negligenda esse videbatur, quo magis a commercio literario & notitia scriptorum , in ea prodeuntium , reliquae academie a Rintelensi remotae sunt.

Opportune eo tempore venit illi in mentem clementissimae concessionis, a SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO AVGUSTO GUILIELMO, eo tempore Academiae nostrae DIRECTORE MAGNIFICENTISSIMO imploratae & impetratae, qua per menses aliquot abesse ab hac Academia indulgentissime permittebatur. Sua-

dente itaque ac inuitante anni tempestate commoda, in
 animum induxit, priusquam ad nos reuerteretur, eam
 superioris Germaniae partem, quae Rheno alluitur, breui
 peregrinatione perlustrare, non eo quidem fine, vt pul-
 chris & munitis vrbibus aut aedificiorum splendore ocu-
 los pasceret, & innocentes patriae mores inter peregrina-
 vitia exueret: sed, vt exteris quoque eruditis innotesce-
 ret, atque ab iis litterarias quasdam merces colligeret,
 in reditu auditoribus suis doni loco distribuendas. Pri-
 mum autem Rintelio discedens perrexit Cassellas, comite
 itineris perillustri Barone de DANCKELMANN, Sere-
 nissimo Hassiae PRINCIPIA consiliis regiminis. Quic-
 quid Cassellae in aula, palatiis, museis magnificum splen-
 didumque habent, aut artis vsquam ac elegantiae ostentan-
 tant: totum hoc, quantumcunque est, quod certe maxi-
 mum est, vidit, perspexit, cognovit, intenteque obserua-
 uit, vt ipse fusius refert in cogitatibus *de flore Academiarum*
promouendo, ann. clo Io CCXXXII. publicatis. Marpurgum
 transeunti D. IOH. BORELVM, magni nominis medi-
 cum, ac IO. HERM. SCHMINCKIVM, hodie Hassiocas-
 sellani PRINCIPIS Consiliarium, Historiographum, &
 Bibliothecarium salutare licuit. In Academia Gieslена
 per haud longum tempus commoratus praeter D. IOH.
 GODOFR. SCHVARTVM theologum; D. IOH. GEORG.
 LEIBKNECHT, Mathematicum & theologum; D. IM-
 MAN. WEBERV, Consiliarium & ICTUM, qui histori-
 cos Mstos & nummos antiquos inspiciendos obtulit; etiam
 MATTH. NIC. KORTHOLTV, eloquentiae & poeseos
 professorem, SEBAST. MASSONIVM, moralium, &
 CHRIST. FRID. AYRMANNVM historiarum professo-
 rem adiit. Francofurti ad Moenum cathedralē templum,
 ele-

electioni & coronationi INVICTISSIMORVM IMPERATORVM inseruiens, & GVNTHERI Schwartzburgici offa condens, conclauia ELECTORVM conuentibus in Curia destinata, & CAROLI IV. de eligendo imperatore decretum, aureo sigillo bullae munitum, vidit. Moguntiam delatus spe videndi alias aureæ bullæ exemplaris excidit. Interfuit tamen disputationibus theologicis patrum e societate Iesu, & horum non minus, quam aliorum monachorum bibliothecas, scriptis codicibus illustres, nec non musea GEDVLTIANA & SCHLECHTERIANA diligenti perlustravit oculo. Heidelbergae auditoria publica splendidissima, Olympiae Fulviae Mora-tæ sepulcrum, D. MIEGII theologi, & D. NEBELII medici exquisitiores bibliothecas conspexit. Argentoratum denique perueniens, singulatis huius vrbis & Academiae celebritas illum mouit, vt non solum in vrbē aliquantis per commorari, sed & ab Academia honores docto-roles petere in animum induxerit. Neque facti adeo illum poenituit. Fauoris enim & benevolentiae curius, qui ab emporii huius & Academiae primariis viris in eum redundauit, tantus per annum integrum fuit, vt eius nunquam sine grati animi testificatione recordaretur. Simul atque Academiae patribus innotuit, non solum solemnioribus singulis actibus eum interesse, sed etiam proximum a Rectore Magnifico locum occupare voluerunt. Itaque academicorum numero adscriptus id ipsum, cuius rei gratia Argentorati substitit, ordine adgressurus d. VIII. Ian. clolo cxxxi. a Decano IOH. VALENT. SCHEID, Medico seniore, in medicinae candidatorum numerum receptus est. Insequebantur d. XXVIII. eiusdem mensis prius examen medicum, & d. XXIX. posterius, in quibus

bus problemata, *de usu lienis theoreticum*, & *de scorbuto practicum*, soluenda erant. Dum exantlatis tentaminibus dissertationi inaugurali conscribendae operam impendit, a scopo non alienum duxit, candidatorum iurisprudentiae numero inseri; quod proinde desiderium cum locum inuenisset, Decano D. Ioh. GEORG. SCHERTZIO nomen dedit ordini Iureconsultorum. Sponte concedente Academia, vt inaugurales theses in superiori cathedra ventilarentur, & respondens cooptaretur, pro licentia, vt aiunt, doctoris medici honores & priuilegia consequendi, d. III. Martii mensis primas noui systematis medici lineas publico proposituit, & defendit, respondentе Ioh. GEORG. WEGELINO. Praesentia sua illustriorem fecerunt actum in primis Serenissimus haereditarius Saxomeinungensis PRINCEPS, & plurimi proceres, aliique dignitate & genere coruscantes. Opponentum vero vices suscepérant nonnulli ex Professorum ordine, celeb. nempe D. Ioh. VALENT. SCHEID, Academiae Rector, & Facultatis suae Decanus, D. Ioh. IAC. SACHSIVS, Physices professor & philosophici ordinis Decanus; D. Ioh. SALTMANNVS, medicinae, in primis artis anatomicae doctor; D. Ioh. BOECLERVVS, botanicae professor; & denique D. Ioh. HENR. HERDENSTEINIVS, non incelebris mathematicus. Incessurus porro, qua cooperat, via d. IX. Mart. de profectibus in iurisprudentia requisitus prima vice, mox d. XI. altera, vbi postremo examine pro recepto more ex vtroque ciuili & canonico iure contextus erant resoluendi. Postquam dissertatio inauguralis de eo, quod iustum est circa iurisprudentiam emendandam, Antecesorum in Academia censurae fuerat subiecta, iidemque praefidium priori simile indulserant humanissimi, respon-

spondente Ioh. Henr. Grevhmo, Quindecimui
 filio, d. IX. April. inspectantibus eodem CELSISIMO
 DVCE aliquis honoratioribus, ventilatio disputationis
 fuit peracta, impugnantium partes sustinentibus BVLIN-
 GER O equite Colonensi, FRIDERICO S. R. I. lib. Ba-
 rone de GEYDER dicto RABENSTEINER, D. IEREM. EBERH. LINCKIO Academiae Rectore, D.
 SCHERZIO Decano, D. Ioh. Henr. FELZIO seniore
 Facultatis, & D. Ioh. Henr. Boeclero, quatuor
 iuris professoribus. Licentia impetrata, supererant so-
 lemnia doctoralia, quae, quoniam quinque candidatis
 illustriora reddebantur, in Augusti mensis sextum diem
 sunt protracta. Quo die confuetis ceremoniis Decano
 & Promotore D. SALTMANNO priuilegia medicinae
 doctoris impetravit, problemate publice enodato: *V-*
trum medicina reliquis disciplinis quoad certitudinem ce-
dat? Denique colophonem scopo in Argentoratensi A-
 cademia praefixo d. V. Nov. anni clo locc xxii. imposuit
 gradu doctoris in vtroque iure, promotore D. Ioh.
 Henr. FELZIO, insignitus. Quaestione ea occasio-
 ne explicandam accepit: *An & qua ratione iurispruden-*
tiae quoad fictiones cum poesi conueniat? Illo autem tem-
 pore, quod a laboribus & solemnitatibus vacuum erat,
 numquam ea, quae eruditionem redolere, aut quodam-
 modo saltem ad illam spectare videbantur, perscrutari
 intermisit. Vnde non tantum publicis disputationibus
 partim audiendo, partim argumentando saepe interfuit,
 sed bibliothecas etiam illustres, & praecipua nummo-
 phylacia, aliaque id generis ornamenta diligenter per-
 uestigauit. Itaque illi, animum litteraria re refecturo,
 nihil omnino deliciarum huiusmodi defuisse, nisi male-
 uoli interea illius famam & existimationem arrodere o-

C

mni

mni nisi laborassent. Rumor enim in vulgus emanauerat, incertum, quo auctore, illum ad alia sacra transeundi cupidine tentari. Cuius rei nuntius cum etiam Argentoratum perferretur, etiam si nullius sibi culpae conscius esset, necessitate tamen coactus, ne prorsus comodorum suorum negligens haberetur, non tantum publico ab Academia Argentoratensi testimonio calumnias istas retundere, sed etiam redditum suum ad nos maturare compulsus est.

Simulac ex hoc itinere IVLIAE nostrae redditus erat, ad pristinos clementissime iunctos labores academicos redditurus nihil prius, nihil antiquius habuit, quam ut, quae per absentiam paullo longiorem forte neglecta erant, pro viribus aliquo modo refarciret. Id quod etiam partim diligent tam publicarum, quam priuatarum lectionum administratione, partim scriptis egregiis, circa hoc tempus in lucem emissis, quam cumulatissime praestitit. Pertinent huc non solum dissertationes quaedam iuridicae, quas statim post redditum suum in publico eruditorum examine non fine laude ventilauit, sed nonnulla etiam historica opuscula, quibus historiae imperii Romano - Germanici qua media tempora egregiam affudit lucem. Inter haec prae ceteris commemorari merentur eius *Historia Comitum Wunstorpiensium*, *Historia Comitum Ebersteinensium*, *Genealogiae Comitum Blanckenburgensium*, *Reinsteinensium*, *Ebersteinensium*, & *Hoensum*, *Commentatio de contrafagillis medii aevi*, & *programma de Lachis Loubae*, atque id generis alia praeclarri ingenii documenta, quae satis comprobant, quanta & in hoc studiorum genere litteratus orbis sibi de L E Y S E R O promittere potuisse, si praematura fata longiorem viuendi moram concessissent. Atque his & similibus in studium historicum meritis non tantum id consecutus est Noster, vt fama

fama eius quotidie cresceret, sed etiam, ut, qui Viro il-
lustri SIMONI FRIDERICO HAHNIO, hinc Hanno-
ueram euocato, in Historiarum professione succederet,
meritis suis dignior praeter eum nemo inuentus sit. In-
iunctae igitur illi primum ab Aulis sunt lectiones vica-
riæ, additis tamen clementissimis promissis, fore, ut, si,
qua coepisset, via pergeret de studiis historicis pœclare
mereri, propediem ipsum historici munus obtineret.
Lectionibus hisce vicariis programmatis loco breui qui-
dem, sed multa eruditione referta scriptio de *sigillo*
Principum Brunsvicensum maiestatico pœclusit. In ipsa
vero Historiae tractatione ea semper usus est methodo,
ut, posthabitum & valere iussis recentiorum scriptorum
systematibus vel compendiis historicis, asserta sua scri-
ptorum coaeuorum auctoritate, & antiquorum diplomati-
cum, aliorumque fide dignorum documentorum testi-
moniis adstruere semper laboraret. Quo factum etiam
est, ut, cum circa idem tempus audiret, latere in Septem-
trione & quidem in priuatorum scriniis multa egregia
documenta historica, tempore bellorum, in inferiori Sa-
xonia gestorum, ex archiuis & monasteriis eo translata,
ann. clo lccxxvi. mense Martio, impetrata prius cle-
mentissima Aularum concessione, de nouo iter quod-
dam per duos menses in Daniam susciperet, nullis par-
cens sumtibus, quantumvis magnis, ad ea vnde con-
quirenda, quae sibi pro scopo aliquando profutura vide-
bantur. Quo in itinere constitutus, tametsi non in o-
mnibus voti sui summam consecutus est, ex parte tamen
satis fauentem habuit fortunam. Praeterquam enim,
quod illi sic exoptatissima rursus occasio offerretur, per-
multos viros eruditos, clara arctoi orbis sidera, compel-
landi, inter quos primo loco nominandus est reueren-
dissi-

diffimus & litteratissimus Hafniensium episcopus, Dn. WORMIVS, qui illum rarissimo MScto donauit: varia quoque hinc atque inde in publicis bibliothecis, archiuis, statuis, marmoribus, antiquis inscriptionibus, diplomatis, sigillis, & monetis annotauit, vnde obscurissimae Cimbricarum gentium antiquitates, & ipsorum Germanorum res gestae non parum lucis foenerantur.

Iam demum tempus erat, vt, his eruditionis copiis tanquam graui praeda onussum cum ad nos reuerteretur, insignem illam in hac Academia doctoris historici spar-tam, diuino fato sibi destinatam, ridente genio capessem-ret. Factum etiam hoc est circa finem anni c15ccxxvi., quo, Augustali decreto impetrato, grauissimi huius muneris initium fecit terfa & eleganter concinnata oratione: *Quod nihil sciatur, nisi quod historicē scitur.* Quanta vero deinceps diligentia, quantoque cum fructu huic novo muneri praefuerit, loquantur pro nobis eius discipuli, qui scholis eius ac recitationibus aude interfuerunt, atque ex ipsis ore rerum, in orbe gestarum, recensionem magna semper cum voluptate percepérunt; vel, si cui forte horum fides nimis suspecta videatur, prodeant prae-clara illa litterarum monumenta, quae adhuc in ylta vi-tae sua biennio condidit, & testimonium hac de re, o-mni exceptione maius, perhibeant.

Clarus ita fuit LEYSERVVS natalium splendore, a maioribus accepto: clarus magnitudine eruditionis, felicitate ingenii acquisita: clarus denique & felix amplissimis dignitatibus, non gratia, sed labore & diligentia impetratis. Id vnum tantum huic felicitati obstare vi-debatur, quod molestissimis saepe domesticarum rerum curis distractus impediretur, quo minus ad litterarum studia tanto ardore, quanto in ea ferebatur, incumbere posset.

posset. Huius igitur rei taedio commotus, et si alias vitam caelibem matrimonio multis de caussis praeferebat, tandem tamen de quaerenda vitae socia, quae in partem curarum veniret, seriam iniit cogitationem. Fuit haec maximum dotium ac laudum matrona LOVISA, Excell. & Consult. viri CHRISTIANI FRID. SCHROETERI, I. V. in Acad. Salana Doctoris quondam celeb. vidua, & summe venerab. Abbatis B. IOH. ANDR. SCHMIDII filia in ordine nascendi tertia, sponso suo tam generis, quam dignitatis claritate non impar; cum qua beate defunctus an. cl^o l^o c^o c^o x^o x^o vi. d. x^o x^o x^o i. Octob. faustum connubium auspicatus est, nuptiarum solemnibus sine pompa peractis. Quod suauissimum consortium quam sancte in summa animorum coniunctione ab utraque parte habitum, quantoque amore, fide & amicitia beate defunctus optimam coniugem prosecutus fit, & haec vicissim illum, nemo nostrum ignorat. Neque, quae caeli fuit benignitas, hoc dulcissimum coniugium infoecundum aut sterile plane extitit, cum ex eo optimae spei filia PHILIPPINA SYBILLA felici partu prodierit, quae nunc superstes quam iacturam in parente suo fecerit, tum demum intelliget, cum ad annos matriores peruererit, ubi matri carissimum hoc amoris pignus, vt maxime optamus, fata saluum esse voluerint.

Quod tandem ad reliquam beate defuncti vitam attinet, multa honesti animi, bonaeque mentis ornamenta in Nostro sic eminent ac eluent, vt in perpetuum exemplum commendari mereantur. Pietatem, quam multi lingua circumferunt, animo proscribunt pessimi simulatores, ille facto potius ipso exercuit, quam inani apparatu ostentauit. Ut publicorum facrorum non fuit contemtor, sic his vnis omnem absolui Numinis cultum, numquam sibi persuaderi passus est. Veram religionem

non tantum in recto de Deo sensu, sed etiam in pio mentis affectu, & constanti omnium virtutum exercitio collocauit, cane peius & angue illos fugiens, qui hodie propugnoso inter christianos exemplo vitae sanctitatem a doctrinae puritate separant, & cognitionem virtute praestare, afflere non erubescunt. In obsequio superioribus praestando fuit promptus; semper eorum, quoties occasio ferebat, cum summa animi deuotione mentionem iniiciens. Collegis suis amore & dexteritate spectatus fuit. Numquam enim cum quoquam vel similitates aluit, vel ulli mortalium grauis fuit. Apud illos, qui fata nostra in Aulis dispensant, studiaque prouehere possunt, neminem collegarum suorum calumniis impetiit, aut crescenti alterius honori obicem posuit, malas quippe artes, viro bono indignas, vehementer detestatus. In senatu academico singularem ostendit prudentiam: rogatus sententiam libere dixit, optimarum semper partium. Pro conseruandis Academiae iuribus, & ordinis professorii honore vel vitam ponere paratus erat, iuramenti, a se sanctissime quondam praefiti, semper memor. Cum aliis de rebus, ad eruditionem spectantibus, conferens, aut more academico disceptans, numquam se demonstrauit morosiorem, aut cedere nolentem. Simil atque iterum professus, quid sentiret, aliis sentiendi libertatem non denegauit, sed facillimum se in ferendis dissentientibus declarauit. Ut secundis rebus parum elatus erat: ita in aduersis numquam illum fractum & oppressum vidimus; quin potius aduersus quoscunque causis obfirmatum atque immotum ostendit animum. In amicitiis connectendis cautus & circumspectus fuit, neminem inter amicos suos recipiens, nisi quem penitus inspexisset. In communivita & vulgari consuetudine singularem

larem semper ostendit morum suavitatem, grauitate tamen stipatam. Ad se venientes summa cum humanitate excepit, omnibus quippe obuius. Horis subcisiuis, veterum Romanorum exemplum imitatus, indulxit etiam honestissimis amicorum colloquiis, vt animum, studiis defatigatum, reficeret: non autem passus est eo se perduci imprudentiae, vt tempus diurnum, ad studia colenda aptissimum, aut integros dies intempestiuis conuiuiis, vel aliis voluptatibus more, hodie Germanis solemini, perderet. Sed quid singula consectamur? in summa: Quemadmodum LEYSERV^s singulari rarioris ingenii & doctrinae magnitudine fuit clarus, ita non minus suauissimo omnium virtutum, quae in hominem cadere possunt, concentu p^rae aliis eminuit conspicuus.

Restat nunc, vt de vltima eius valetudine & beato ex hac misericordiarum valle discessu pauca adhuc adiiciamus. Viribus videbatur integris & corpore robusto, cum nocte ista, quae inter primum & secundum huius mensis diem media est, illum ex improviso feruentissimus quidam aestus inuaderet, cum anxietatibus praecordialibus & p^raeternaturali sudore coniunctus. Quae symptomata, quia signa videbantur esse grauioris mali, adhuc latentis, eum permouerunt, vt, adhibito statim in consilium celeberrimo quodam Medico, variis atque optimis remediis morbo obuiam iret. Quorum etiam vsu primis tribus diebus se non leuiter corroboratum sensit, adeo, vt spe propediem conualescendi non destitueretur. Indicis vero purpurae rubrae, quae ab initio hinc & inde apparuerant, subito euascentibus, & morbo ipso in purpuram albam degenerante, etiam hoc exemplo confirmatum est tritum illud:

Non est in medico semper relevetur vt aeger.

Vix enim sex dies praeterierant, cum beate defunctus, o-

mni-

mnibus viribus destitutus, ingrauescenti malo succumbe-
ret, & die VII. huius mensis circa horam IX. vespertinam
inter preces & lacrimas suorum, praesentibus Viro summe
Rev. D. FRID. WEISIO, suo in Christo patre, & aliis qui-
busdam amicis, integra ratione plenisque sensibus, atque
in ipso aetatis suae flore placide ac leniter obdormiret, an-
nos natus XXXVII. menses VII. & dies VII. nunc, quod ad
plenam aetatem deest, aeternitate compensaturus.

Atque haec celeberrimi LEYSERI vita fuit, haec vi-
tae, in conspectu omnium honeste peractae, clausula. Vixit
ille, sed ita vixit, vt etiamnum vobis post fata' perpetuo
exemplo viuat. Vos, O! CIVES, si aliquis modo recti bo-
nique sensus mentibus vestris adhuc inhaeret, vobis exem-
plum hoc ob oculos ponite, ne aliqua aetatis praestantia
mortis ab insultu immunes vos esse existimetis, atque e
vita eius optimisque moribus, quod ex vsu vestro sit, de-
promise.

Te vero, summe ac aeterne D E V S, oramus ac re-
ligiose veneramur, vt vulneri remedium, dolori solatium
adferas. Serua nobis I V L I A M, hoc inopinato obitu su-
pra modum afflictam! Serua, quos superstites per Te ha-
bemus, SERENISSIMOS Academiae N V T R I T O R E S,
vt reddant nobis propediem, quem in L E Y S E R O amisi-
mus, idoneum Historiarum doctorem! Serua moestissi-
mam Viduam & filiolam, & vtriusque sis pater, tutor ac
protector! Serua denique vniuersam splendidissimam Ley-
serianam gentem, eamque a pari funerum acerbitate diu
immunem atque incolumem praeesta! P. P. in Academia
Regia Ducali I V L I A d. XXV. April.

CLXXXVIII

POLY-

POLYCARPI LEYSERI

SCRIPTA PRAECIPVA.

THEOLOGICA.

De praesumtione contra Clerum
epistola 1714.

Diff. an bona opera in actu iu-
stificationis sint praesentia?
1718.

Diff. de promouendis commodis
ecclesiae euangelicae 1718.

Discordia rationis & fidei in con-
troversia cum Antitrinitariis:
insertis WISSOWATII, LEIB-
NITII & aliorum scriptis hu-
ius argumenti ineditis.

Diff. de nouiter adornanda N.T.
Graeci editione 1723.

IVRIDICA.

+ Diff. de eo, quod iustum est cir-
ca iurisprudentiam emendan-
dam 1722.

Progr. de primis iuris Germani-
ci scripti incunabulis 1723.

Diff. de frustanea cadaveris in-
spectione in homicidio 1723.

Diff. I. de limitibus, qui Ictis a
theologis ponuntur 1724.

Diff. II. de eodem argumento.
Progr. de veterum Ictorum di-
uisionibus non iuridicis 1725.

MEDICA.

Primae noui systematis medici
pro gradu doctorali 1722.

PHILOSOPHICA ET LIT- TERARIA.

Cautiones circa bibliothecas 1714.
Vindiciae generales scriptorum,
qui vulgo suppositiui haben-
tur 1715.

Meditationes de genuina histo-
ria litteraria 1715.

Diff. de vita & scriptis Io. Bodini
1715.

Diff. de origine eruditionis non
ad Iudeos, sed ad Indos re-
ferenda 1716.

Animaduerstiones criticae in E-
phemeridum litteratarum, in-
primis hodiernarum metho-
dum 1716. 3. pl.

Obs. de praetensis terminis tech-
nicis a Mose adhibitis contra
Andr. Rudigerum 1716.

Apparatus litterarius, ex variis
quibusdam & selectis obser-
vationibus constans 1717.

Discussio contutidorum, quibus
Andr. Rudigerus physicam
suam tueri molitus est 1717.

D Progr.

Progr. de reformationis disciplinarum necessitate 1718.

Cogitata de flore academiarum promouendo 1723.

Examen philosophiae Wolfianae philosophicum 1724.

Erinnerung gegen Idipii censur, so er von dem examine philosophiae Wolfianae gefället 1725.

HISTORICA.

Diff. de conciliis Moguntinibus & in primis concilio anno DCCCX. habitu 1713.

Diff. de meritis Saxonum in Angliam 1715.

Diff. I. de Augustae domus Brunsuicensis meritis in rem literariam 1717.

Diff. II. de eodem argumento 1718.

Diff. de primis Theologiae doctribus e Saxonum gente, Hugone comite Blanckenburgensi, Hermanno de Schildis, Thoma duce Brunsuicensi 1720.

Progr. de existentia Iohannae Papissae 1723.

Progr. cui tit. Salus Augusti ex nummis 1723.

Progr. de profectione principum & aduentu felici in nummis veterum Romanorum 1723.

Panegyr. in Magnae Britanniae Regem Georg. I. 1723.

Specimen tabularum progono-logicarum Augustissimi Reg. Georg. I. maiores aliquos, imperatores maxime & reges si-ffitentium 1723.

Genealogiae comitum Blanckenburgensium, Reinsteinensium, Ebersteinensium & Hoenensium 1724.

Historia comitum Ebersteinensium in Saxonia 1724.

Bertheidigung seiner Ebersteinischen Historie gegen Herrn D. Behrens Remonstration 1725.

Historia comitum Wunstorpiensium 1725. v. 1726. c. f. 9. p. 4.

Sigillum maiestatis Brunsuicensis 1725.

Commentatio de Lachis Loubae 1725.

Commentatio de contrasigillis mediis aeu 1726.

Consilium & monita de diploma-tico Historiae Germanicae cor-pore concinnando 1727. 4. 8. pl.

Obseruata diplomatico-historica:

1. de iure Iustinianeo a Lotha-rio imp. in Germaniam mi-nime introducto.

2. de Lantinc iure Germano-rum honorario.

3. de seruis seruorum.

4. de Frilingis.

s. de

5. de differentia nobilium medii & hodierni aeui.
6. de Litonum absolutione.
7. de iniquitate testamento-
rum.
8. de seruis nobilibus.
9. de patria potestate in Ger-
mania ignorata.
10. de iure legitimae.
11. de adoptione per Andelan-
gum.
12. de origine Patriciorum ger-
maniae.
13. de aduocatis principum.
14. de Mundiburdio. 1727.

GEOGRAPHICA.
Commentatio de vera Geogra-
phiae methodo 1726. 10 $\frac{1}{2}$ pt.

POETICA.
Orat. de ficta medii aeui barba-

- rie, in primis circa poesin lati-
nam 1719.
Orat. de poesi disciplinarum
principe 1720.
Progr. de vera indole poeseos
1720.
Progr. de artis poeticae Horatia-
nae virtutibus & vitiis 1720.
Gualteri Mapes Rythmi bini de
concordia rationis & fidei ex
codice MSCto eruti 1720.
Historia poetarum & poematum
medii aeui 1721.
Augustini Calmet diss. de poesi
veterum Ebraeorum in latinam
linguam translata 1723.
Diss. de frustra quaesita poesi in
codice sacro hebreao.
Galfridi de Vinosaluo ars poeti-
ca ex MSCtis edita 1724.
Progr. de acuminibus spurii in
arte poetica vitandis 1725.




ULB Halle
005 826 144

3



WDR



Farbkarte #13

B.I.G.

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9
	10	11	12	13	14	15	16	17	18
	19	20	21	22	23	24	25	26	27
	28	29	30	31	32	33	34	35	36

1728, 9
12/9 470
TURIS OFFICIVM
PRO
RIA E RVDITIONIS
IN SIGNI,
D. LEYSERO,
DOCT. POES. ET HISTOR.
OFESSORI ORDINARIO,
TIS NOSTRAE
HISTORI,
a. clo loc cc xxviii.
AVE DEFVNCTO
LICO
AE IVLIAE
MINE
LVTVM.
STADII
TERICI SCHNORRII,
TYPOGR.